



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

Ital
4832
7



I 2024832.7

Harvard College Library



FROM THE GIFT OF


FRANCIS SKINNER


(Class of 1862)

OF BOSTON

FOR BOOKS ON VENICE







Vergeri
PETRI PAULI VERGERII

SENIORIS

JUSTINOPOLITANI

DE REPUBLICA VENETA

FRAGMENTA

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA

Imprimatur Petri Picogna



VENETIIS

EX TYPOGRAPHIA PICOTTIANA

M. DCCG. XXX.

Ital 4832.7

Gift of Francis Skinner

IOANNI · ANTONIO · MOSCHINIO

VENETO

VIRO · CLARISSIMO

IAM · CONGREGATIONIS · E · SOMASCA

IN · SEMINARIO · NOSTRO

PHILOGIAE · LATINAE

ET · THEOLOGIAE · PASTORALIS

PROFESSORI

NEC · NON · STVDIORVM · PROPRAEFECTO

MAGNO · MERITI · CIVILIS · AVREO · NVMISMATE

DECORATO

CANONICO · DIVI · MARCI

NVPERRIME · RENVNCIATO

BENEDICTVS · COMES · VALMARANA

EMANVEL · ANTONIVS · CICONIA

GRATI · OVANTISQ · ANIMI · PIGNVS

OPVSCVLVM · HOC · D · D · D

ANNO · MDCCCXXX

LECTORI BENEVOLO

EMANVEL ANTONIVS CICONIA.

Ut mihi nuncius allatus est Ioannem Antonium Moschini ad Marcianae Basilicae canonicatum evectum fuisse, quantum ego laetitia ceperim non verbis apte patefacere possum: tum quia pro meritis honos illi impertitur: tum ob necessitudinem quae inter nos multis abhinc annis intercedit. Ille enim est cui patria historia pulchrioresque artes ob vulgata scripta plurimum debent; ille per quem patriarchale seminarium ex vetere in novam sedem translatum inscriptis lapidibus, codicibus, tabulisque pictis undequaque refertum conspicitur; ille a quo praesertim Marci Templum novo splendore, quo ad preciosa antiquitatis monimenta et fabricae opera, augetur; ille tandem primus qui mihi renuenti ut Venetarum Inscriptionum opus redigerem, et non sine aliqua studiosorum hominum utilitate in lucem proferrem suasit atque adduxit. Quapropter cogitanti mihi quidnam hac omnium laetissima die amico offerre potuissem, opusculum occurrit aptum sane, quia de ea civitate pertractat de cuius incremento et honore Ioannes Antonius tanquam amantissimus filius

sollicitus summopere videtur. Sed pauca de opusculo, deque ejus auctore dicam.

Duo floruerunt illustres, nomine, genere, patria eadem, *Petrus Paulus Vergerius*. Alter qui *senior* natus a. circiter MCCCXLVIII, defunctus a. circiter MCCCCXXI. Alter *junior* cujus ortus ante MD, et interitus fuit a. MDLXV. Ambo de *Veneta Republica* scripsere.

Vergerius junior, cujus inter biographos recentiores vitam multa eruditione exaravit clarissimus vir Petrus Stancovichius (1), opusculum edidit, cui titulus: *Petri Pauli Vergerii Iustinopolitani jurisconsulti de republica Veneta liber primus*. In fine legitur: *Paganinus in Tusculano idibus aprilis MDXXXVI. Alterum librum cœcudet paulopost in quo de legibus venetis et magistratibus copiosa disputatio futura est* 4. Ast hic secundus nunquam lucem vidit; primusque liber, teste Iacobo Morellio (2), inter rarissima typographicæ artis opuscula recensendus est.

*Vergerium seniore*m libellum de *Origine urbis venetæ* dictasse nos docet primus omnium Bernardus Iustinianus (3), qui ad calcem libri primi *De origine Urbis Venetiarum* hæc habet: *Testatus* (Vergerius senior) *id ipsum parvo libello quem de Venetiarum origine conscripsit*. Marcus Fuscarenus (4) rem ipsam confirmat, nulla tamen de loco, ubi manuscriptum extet, mentione facta. Ad fidem Fuscareni verba refert Stancovichius (5) qui non minori eruditione et diligentia vitam Vergerii senioris protulit. Sed Morellius, loco citato, lucem majorem affert, ex illo namque opusculi titulum esse comperimus: *De situ et conditione et re-*

publica grandis et aureae urbis Venetiarum: ineditum etiam exstare sed imperfectum in quodam Bibliothecae Capitularis Patavinae codice, et in alio Bibliothecae Reformatorum urbis ejusdem cognovimus. Praeterea Morellius ipse (6) id rursus memorans addit Gesnerum (7) scribere hoc Vergerii senioris opusculum, etsi incompletum, editum fuisse Romae a. MDXXVI. 4. quinque chartis et dimid. At Gesnerus, cujus verba ego ipse legi, non de *Vergerio seniore*, verum de *juniore* loquitur. Et revera, ut dixi, libellum *junioris* a. MDXXVI incompletum typis editum fuisse certum est, non tamen Romae, sed Tusculani, nec quinque chartis, sed sex foliis scilicet A. B. C. D. E. F. in 4.

Iam vero cum mihi ad manus annis proxime elapsis *Vergerii senioris* opusculum nondum editum venisset, (8) Antonio Comino caeremoniarum magistro et Bibliothecae Canonorum Patavii custodi litteras dedi, ut me certiore faceret an Vergerii hujus libellus a Morellio citatus ibidem adhuc exstaret, nec ne. Cominus pro eximia, qua praeditus, comitate opusculum imperfectum, ut Morellius affirmaverat, invenit; exemplumque mihi praebuit, quo recognito, opusculum quod apud me est, longe copiosius illo esse comperi (9). Disjecta Reformatorum Bibliotheca quid de exemplari opusculi Vergariani acciderit, me latet.

Hunc igitur libellum ad fidem apographi mei in lucem profero. Multas equidem adnotationes adjicere potuissem, tempora, quibus scriptus fuit, videlicet ad finem saeculi XIV, vel initio XV, temporibus recentioribus comparando. Sed quia plerique de republica et

magistratibus Venetis tractatus amplissimos habuere, inter quos Contareus, Sansovinus, Iannotius, Crassus, Sandius, Ferrus, Tentorius, Pivetta, Crotta ec. idcirco quicquam rebus quam maxime cognitis addere supervacaneum fore putavi. Mibi tantum sufficit ineditam et latitantem clarissimi viri *Petri Pauli Vergerii senioris* opellam, licet imperfectam, edidisse, ut tum Moschinio amico, tum biographis Iustinopolitanis aequae ac Venetarum rerum cultoribus gratum faciam.

NOTAE.

- (1) Biografia degli Uomini illustri dell'Istria. Trieste 1828. T. I. p. 420.
- (2) Catalogo di storie generali e particolari d'Italia. Venezia 1782. 8. p. 205.
- (3) *Venetis apud Bernardinum Benalium* 1492. fol. *reg. a viii tergo*.
- (4) Letteratura Veneziana p. 227 nota 1.
- (5) Biografia T. II. p. 70.
- (6) Biblioteca manuscritta di Tommaso Ginseppe Farsetti. Parte seconda. Venezia 1780. 8. p. 44.
- (7) *Bibliotheca. Tiguri* MDXLV. p. 551.
- (8) Opusculum in charta scriptum est ad finem vergente saeculo XV, aut initio saeculi XVI. in 4. charactere corsivo, chartis sex constat, sed paginis undecim tantum undique scriptis, nam post verba *honoris et gloria laudibusque demulcentur* pagina, quae sexta est, vacat. Quae sequuntur *docili sunt ingenio veneti* sunt in margine paginis quartae, eademque manu scripta. In duas partes opusculum dividitur. Prima de situ urbis, de forma, de aedificiis, de indole et moribus Venetorum: secunda de magistratibus tractat. Prima incipit: *Venetorum respublica* usque ad *maxime vero in judiciis capitalibus*. Altera: *et insuper his qui rogari consueverunt* usque ad *perpetuo exul fieret*; nam ultima linea *Gloriosi sunt homines* ad primam opusculi partem attinet. Idem amanuensis in fine totius libelli scripsit *Imperfectum opus*. Revera ex ipsis primis amanuensis verbis *Excerpta ex quibusdam fragmentis*, imperfectum opus reliquisse Vergerium colligitur, et ex frequentioribus lacunis in utraque parte satis confirmatur; imo secunda incompletior, in qua de quamplurimis magistratibus ne verbum

quidem est; vereor tamen ne in apographo meo paginae duo, vel quattuor desint ubi fortasse initium partis secundae olim legebatur de magistratibus. In margine paginae postremae quoddam fragmentum de repub. Veneta legitur. excerptum ex libro IX *Supplementi chronicarum* Jac. Philippi Bergomensis impressi a 1496. fol.

- (9) Exemplar Bibliothecae Canoniorum Patavinae extat in codice chartaceo saeculi XV, olim signato D. 72, nunc vero B. 62, inter quinquaginta circiter varii generis, diversorumq. authorum opuscula. Incipit: *Ejusdem (Vergerii senioris) de situ et conditione etc. praegrans et aureae Ur... Venetiarum. Et nota quicumque leges infra-scripta quod ego judico (sic) arbitror ipsam non recto modo procedere nec est propterea mirandum nam et causam collegii (sic) ex quibusdam tractatibus et minutis ipsius d. p. p. (domini Petri Pauli): Veneta resp. optimatum administratione regitur ec. Explicit: quam cum capta crederetur ipsiq. magis capti essent qui se eam cepisse arbitrentur.*

EXCERPTA EX QUIBUSDAM FRAGMENTIS PETRI PAULI
VERGERII JUSTINOPOLITANI .

Venetorum respublica optimatum administratione regitur. quod genus civilitatis graeco vocabulo aristocratiam licet appellare (1). quae inter regium popularemque principatum media est. Haec vero tanto est etiam (2) melior quod quoniam utriusque laudabilium extremorum participat ex omni genere laudabilis politicae (3), simul commixta est: nam et dux in ea (4) constituitur perpetuus electione: cuius nomine auctoritateque res gerantur. et penes populum suprema potestas est, cum vacat ducatus condendae legis, quam nulli collegio aut homini praeter populum ipsum licet abrogare. Id autem (5) in describendis eorum moribus ac legibus quibusdam formaque regiminis facile intelligi poterit. Primum autem designandus est urbis status, naturaque regionis.

Est igitur urbs Venetiarum in intimo (6) Adriatici maris sinu collocata, nusquam terra adibilis: nec ma-

(1) *Veneta resp... ideoque aristargiam greco vocabulo licet appellare. Cod. Patav.*

(2) *etiam tanto est melior.*

(3) *laudabilis recte.*

(4) *Nam in ea dux:*

(5) *Hec autem in ipsa reip. descriptione quam facturi sumus plane patebunt cum prius et situm religionis (sic) et urbis nomen et naturam ac studia moresque hominum descripserimus. Situs urbis.*

(6) *driatici (sic)*

ri facile. quippe inter aquas paludesq. constituta tantisper a continenti recessit: ut nullo attingi possit iactus tormentorum. A mari vero littus habet arenosum fluctibus objectum quod non nisi paucis hostiis pro portu ingressum navium admittit. unde influit denuoq. refluit mare. Erat autem olim longe lateq. adiacens (7) regio Venetia dicta: in qua urbes plurimae oppidaq. cisalpinae Galliae continentur: ut Bergomum (8) usq. tendi huius provinciae termini viderentur. Postea vero angustius usi sunt eo vocabulo homines, et quae tantum erat mari pars finitima etiam si a littoribus recessit, hoc nomine appellaretur. In hac autem littorea plaga pleraeq. erant velut insulae et in his habitationes hominum variae, dispersae ut sicubi forte tellus solida aut arenae cumulus ex aquis emersisset quae possit incolentibus praebere stabilem sedem: domus illinc seorsum (9) cernebantur piscatorum aut eorum qui nauticam exercent. Cum vero qui sparsim his in locis habitabant pleriq. in unum (10) coierunt et insuper advenarum multi tutela loci confisi habitare una coeperunt, ut urbs magnitudine potentiaq. satis iam clara: sensim ut et cetera quoque hanc sibi appellationem vendicavit (11). factumq. est ei proprium nomen quod regioni antea comune fuerat: Inde vero ante non multum tempus cum Duce regi placuisset, ita receptum est ut quicquid littorum gradibus et Capite Aggeris duobus his longissimis terminis a septentrione in austrum clauditur: id solum Ducatu (12) contineri vide-

(7) *iacens*(8) *pergamum*(9) *seorsum singula*(10) *in unum locum*(11) *appellationem hanc sibi vendicavit*(12) *ducatu venetiarum*

retur. Quod vero postea aut armis aut lege (13) quae situm est, id non ducatur, sed imperio urbis videtur accessisse. Similem autem fuisse quondam situm extremo in occidente alterius urbis: et appellationem eandem ex commentariis C. Caesaris constat: quos Julius Celsus a se correctos edidit (14). Unde forsitan ex similitudine est huic nomen indictum (15). aut magis ut opinor ab Eneum gente quod populos (16) illos secum ex Troiae ruinis Anthenor in Italiam profugus advexit (17). proximeque ad ea loca consedit ubi nunc Venetum urbs extat. Haec igitur cum nullis sit muris, nulloq. vallo cincta: munitissima tamen est omnium quas noster orbis habet. Quae res profecto ad augmentum urbis cum in populo tum etiam in opibus maxime valuit. quod incurrentibus vario diversoque tempore in Italiam saepe barbaris, cunctaque vastantibus: solus erat tutior hic locus quo se homines aut incolumi fortuna aut perditis rebus utcumque servati conferrent. Nam et summe difficile adiri ab exteris (18) per repugnantiam potest: et interius ita est disposita ut nunquam minus capta videri possit quam cum capta crederetur. ipsique magis capti essent qui se eam cepisse arbitrarentur (19). Inter ipsas namque lacunas (ita enim appellant) tenuis aqua paludibus supernatans, majusculas naves non recipit. aut si forte cum in summo est mare recipit, cito tamen eas ordine suo refluens unda in sicco destituit. Nec molli

(13) aut lege aut armis

(14) Celsus emendavit

(15) est iis nomen indictum

(16) quod et

(17) advehit

(18) externis

(19) Hic desinit exemplum Bibliothecae patavinae capitularis.

limo licet vestigia certa figere quo semel immersus explicare se nulla vi potest. Itaq. pedibus quidem nulla ratione: remis vero paucis admodum viis, eisq. non satis amplis, quas canales appellant: fas est accedere. quas aut hominum manus fodere primum: aut aquarum perpetuus fluxus concavas reddidit. Verum non hoc humani studii opus hinc moveor arbitrari: quod hae viae plerumq. distortae sunt: nec ulla certa ratione constitutae. quaeque e regione sunt interdum consimiles non habentes alium exitum aut ullum „ usum „ humanum tantum ut lacunares aquas in has deferant cedente mari quibus est ad portus et apertum mare defluxus. Has autem navigabiles vias ne forte possint navigantes fallere: fixis in margine palis designant. quibus obstruis adiri urbs non potest. Cum vero est eo perventum, non licet temere vagari. est enim angustis ac minime directis viis altisq. bedificiis: ac postremo tota rivis canalibusq. distincta, ut unaquaeq. fere vicinia in insulam redacta sit. ac pene in singulas domos navi perferri liceat. Quae res non modo ad urbis tutelam sed et ad voluptatem quoq. comoditatemq. privatorum aptissima est. itaq. tota pontibus lapideis plurimum vero ligneis quos facile sit per opportunitatem dissolvere iungitur. ut et pedibus ambulare, et navigio duci per omnia urbis loca contingat. Eam vero canale magnum ex aequo pene dividit. quod unico ligneo quidem ponte eoq. praecipuo apud Rivoaltum transmittitur. Sunt autem secundum hanc sectionem duo in primis celeberrima in urbe loca. hinc platea divi Marci quo per diem festum omnis nobilitas convenit ubi est ducale palatium ex qua arce universa respublica gubernatur. Inde Rivoaltum ita, ut opinor, dictum quod ibi altior est rivus ubi profestis diebus assidui versantur ad negociationem exercendam.

Est quoque urbs haec.
 foris vero per lacunas pleraeq. sunt habitatae insulae sparsimq. sacrae aedes ac monasteria utriusq. hominum sexus cum amplis spatiosisq. viridariis : apti sane recessus sive ad animi remissionem interdum hominibus occupatis : sive religiosi semper ad pia studia et sacras devotiones . Aer in urbe spissior est ex aquis et per aestatem intemperatus ac respirationi difficilis . Recedente vero mari : teter ex paludibus odor insuetos offendit . Viros gignit proceros hic locus . feminas aliquanto crassiores . et senibus quidem permaxime congruit : eosq. bene habet : salso vapore superfluum humiditatem aetatis cohibente . Cujus est argumentum : quod exeduntur in muris lapides ab salsedine marini vaporis . Suntq. plurimi ac pulcherrimi senes, sive ea ratione quae dicta est : sive quod hic maturius quam in ceteris locis detegitur atque venit ex putrida exalatione canities . et quod sunt fere omnes humida complexionem flavoq. capillo . qui celeriter canescere consueverunt . Nullus urbi ager adjacet . nihilq. intra fines nascitur praeter pisces . Olera fructus ortulanos avesq. palustres, aliunde adduci ; cetera quae ad victum pertinent navigio inferri marinis aut fluvialibus subvectionibus necesse est . Collectis pluvialibus aquis utuntur . aut etiam si quando plurima coeli siccitas abundaverit : ex vicinis fluminibus in cisternas invectis . Sumptuose splendideque vestiunt . Parce vescuntur . Iuventutem habet urbs docilem externi moris et alienigeni cultus studiosam . Commune hic omnium studium est mercatura . quo merces ex omnibus mundi partibus petitae convehuntur . ut dici urbs haec possit : quod ait Franciscus Petrarca : totius orbis emporium .

Per omne mediterraneum mare navigant . In Pontum usque ad gelidum Thanaym . In Syriam et Egy-

ptunt Lybiamq. et trans Herculis columnas per oceanum ad extremos usq. britannos metalla et quae noster orbis natura aut arte sibi propria vendicavit deferentes. Aromata aut lanas preciosasque pelles et quibus rebus alii abundant navigio referunt. eademq. fluminibus aut terrestri itinere devehenda: peregrinis mercationibus vendunt: aut ipsi denuo in eas partes ubi sit talium rerum caritas per mare deportant. Sed his vehementer officit magnoq. damno constat: quod in ipso portus ingressu minus altum est mare. et fere quot annis naves per omnia maria tuto delatae: iam pene in portu de salute rebusq. periclitari consueverunt. Cui malo remedia etsi saepe magnis impensis quaesita: nondum tamen inventa sunt. Navale ingens quod Arsenalae appellant: intra urbem est undique muris conclusum. in quo longae naves et fiunt novae, et factae servantur, et tempestate adversa quassatae aut vetustate consumptae reficiuntur. In eo remi, anchorae, ceteraq. impedimenta navalia: arma insuper et omnis generis instrumenta bellica usque in stuporem sunt et parantur assidue. Terra mariq. nunc Veneti latum imperium possident. Et sunt quidem publice privatimque non multum avidi quaerere. Sed servare quod partum est studiosi. Ambitione magis tenentur honoris et gloria laudibusque demulcentur

Docili sunt ingenio veneti. elati animo. et more mansueto. Privatim quidem in sermone ac gestu multa gravitas. publice vero multa constantia. ut nemini neque civi neque peregrino post capitalem sententiam indulsisse veniam memorentur. aut quemq. exilii damnatum nostra memoria auditum sit eos in urbem revocasse. Quam constantiam eo possunt facilius tueri quod non habent agrum suburbanum quem vastare exules possint. aut urbi propiores facti per bellum seditionem interius excitare. Solent enim bellorum tem-

poribus exules conjungi hostibus et conceptum odium ob damnationis ignominiam

Hi cum ad extrema orbis navigent: externorum tamen morum videntur inexperti: quod nunquam patriam exeunt. navi enim lati semper inter suos versantur. ac tanto quidem arctius: quod minor est navis quam urbs aut urbis vicus. Superi maris imperium possident: idque ne piratis fiat infestum perpetua classe tumentur. Soletque quotannis in ascensione domini qui dies unus est eis omnium ex toto anno maxime celebris, dux eorum cum optimatibus atque omni nobilitate navigio in id ipsum opus comparato foras portum aliquantisper evector in signum domini continuandaeque possessionis gratia annulum manu detractum in altum iacere

In decretis legibus atque in omni deliberatione servanda mira est iis constantia. maxime vero in iudiciis capitalibus

.

CONSILIVM ROGATORVM.

. . . . et insuper his qui rogari consueverunt consilium centum hominum quod et ab illis appellationem habet (dicitur enim consilium Rogatorum) residetque in his et maioris consilii et totius urbis potestas.

SAPIENTES MAIORES.

Si quando res est ulla gravis quae silentium desideret aut tractatum longiorem: ea solet officio IIII. virorum committi: qui dicuntur Sapientes maiores seu consilii capita. et is est honorificentissimus magistratus.

ADVOCATORES COMVNIS.

Advocatorum vero comunis amplum etiam officium est. eiusq. magistratus instituendi certa fuit atq. utilis ratio: ut essent qui leges iuraq. publica tuerentur. et reos quibus accusator deesset apud senatum insequerentur. ac certis maleficiis ipsi iudicarent.

X VIRI.

Crimen vero laesae majestatis et conjurationis investigandi cura ad X viros pertinet. Ducem scilicet cum consiliariis sex: advocatis qui tres numero sunt adhibitis. et ab ipsis quidem non est provocatio.

Aliud quoque collegium est ad habendas de reis quaestiones.

V VIRI PACIS.

Qui iurgia inter se habuerint aut inimicitias exercuerint: iubentur ad V. viros ire. qui a pace sunt appellati. Siquis autem ab illo magistratu damnatus non satisfecerit: impune omnino occidere licet.

IUDICES.

Iudices praeterea civilium causarum senatus ex senatoribus eligit, nam nullum externum plebeiumve magistratum admittunt.

SCRIBAE.

Plebs scribarum officium explet: proprii civibus: et item proprii peregrinis iudices sunt. ac secundum causarum varietatem curiae diversae.

LEGES.

Leges proprias statutas habent secundum quas iudicari oportet. Siquid autem illas praeterit: moribus: quod autem neutro iure decidi valet: id arbitrio discretioniq. iudicum permissum est. Nam nullis externis legibus teneri volunt. Sacerdotes qui eisdem renuunt legibus vivere: suis et ipsi e legibus tueri eos nolunt. itaq. impune illos non occidere: cedere tamen licet.

AVDITORVM OFFICIVM.

Est insuper officium auditorum. qui tres numero sunt. ac sententias aliorumq. iudicum querelas audiunt; uno eorum quolibet interveniente. Rei cognitio ad aliud quod unum collegiorum quod ille elegerit refertur.

ANNONAE PRAEFECTI.

Eorum quoque ratio qui praesunt annonae late patet. de qua re maxima urbi cura est.

NOCTVRNI PRAESIDES.

In sex partes divisa urbs est. Nocturnos praesides ne qua pars vacet tutela singulos ex singulis sextantibus in ministeria magistratuum eligunt.

Est insuper magistratus pro cudenda pecunia

PROCVRATORES.

Eorum officium qui Procuratores dicuntur honestum est magis eorum auctoritate qui ad id eligi consueverunt: quam administratione praeclara. Cura enim illorum est circa templum sancti Marci quod vetustissimum et ditissimum habent, et pupillorum tutelas quibus nullus testamento tutor datus est: aut datus defecit. Ad hanc autem administrationem eligi solent qui sunt in urbe primi et aetate proveci et omnibus functi honoribus. ac recte id quidem. ut quibus in rebus summa desideratur fides: eae non nisi summis viris committantur. ex hoc etenim numero vacante sede dux eligi potissimum consuevit. nec licet his negotiationem gerere suo nomine. ne ex aliena pecunia ditari videantur.

Nullum est officium quod publici stipendii immune sit. ne per inopiae occasionem male rem gerere cogantur.

SAECLARIVM COLLEGIA SIVE SCOLAE.

Quattuor sunt praecipua in urbe collegia seclarium hominum gratia religionis instituta quae Scolas appellant. crebroq. conveniunt ad sacras devotiones exhibendas. Verum ne per huiusmodi collegiorum institutionem novandis rebus occasio praeberetur: constitutum est ne nisi ad certum numerum admitti plebeios liceat, nobiles vero quotquot admitti se postulent.

CAMERA IMPRESTITORVM.

Magna sunt inferendarum efferendarumq. mercium vectigalia magniq. ex his proventus ad fiscum deveniunt. Sed in exsolvendis usuris, magistratumq. salariis

fere omnē consumitur. Multis etenim gravibusq. bellis quae longis retro temporibus aut intulit aut passa est civitas: pene innumerabile aes alienum contraxit: ius civibus singulo bello pro modo facultatum, mutuum in aerarium conferre. Pro illis nunc annuas mercedes vigenas exsolvit manente sorte. eaq. impensa grandem complectitur summam. Habenturq. hi redditus immobilium loco. itaq. non nisi civibus aut si quibus privilegio indultum est, licet emere vel possidere.

PROSENETAE.

Meres quoque quae de foris advehantur non licet peregrinum a peregrino comparare. civem inrervenire medium oportet.

LONGAE NAVES.

In classe quoque longarum navium quam singulis annis emittunt: partem quod ad sinus Adriatici custodiam, partem vero ad mercaturam: aliena quam civium pecunia mercari non licet. In his preciosas merces atq. aromata convehunt. Cetera onerariis imponunt navibus.

Longe naves publicae omnes sunt. nec privato cuique licet ullam armare. Eis non utuntur ultra quinquennium; quae videtur congrua navalis aetas. nam post id tempus videntur invalidae. Sed aut vendunt in aliam formam reficiendas: aut ligna in alium usum transferunt. Maritimis bellis aut ulla navali expeditione neminem admittunt externum ducem. neq. id sibi temere arrogant, quando vitam et tempus omne in maritimis exigunt.

Die noctuq. cum lucerna vel sine aequae per urbem

ire licet . verum paci domesticae consulentes : neminem arma deferre permittunt .

QVAESTORES .

Sunt insuper tres quaestores aeris publici ad quos deveniunt merces aut quaecumq. alia acciderint in commissum . eorum est officii omne quod publici iuris est ab iniustis possessoribus vendicare . quaecumq. vero exegerint , quartam eorum partem proprio lucro deputare eis licet . et est annuus magistratus . ac rogatorum consilio sunt adscripti .

OFFICIVM PVBLICORVM .

Tres quoque in annum constituuntur : qui publici appellantur . His cura est ut sit urbs sordibus munda . viae stratae . riviq. navigabiles . atq. ne usurae in urbe exerceantur . iustis enim rationibus non illicitis quaestibus aut conventionibus ditari suos cives volunt . Harum autem rerum gratia siquid a contrafacientibus nomine paenae exegerint ; dimidium applicant sibi : reliquum confertur in publicum . Cum Iudeos qui sub usuris mutuabant urbe pellendos censuissent a quibus etiam quaedam regio Iudaica est appellata , huic magistratui curam hanc annexerunt ut ne illi iudei aut quodvis aliud hominum genus eum questum exercent . Suos vero maxime

IUDICIARIVM MVNVS .

Iudicarium vero munus in plures partes est distributum . Nam alii quidem sunt iudices forensium ac peregrinorum de omni re atq. summa inter illos dijudicare potentes . qui sunt tres numero et in annum

eliguntur. Alii vero secundum summam taxatam habent iurisdictionem ut sunt iudices magni salarii tres numero qui minimam habent iurisdictionem.

IVDICES MOBILIVM.

Et rerum mobilium iudices eodem numero; qui in semilibra auri dicere ius possunt.

IVDICES PETITIONVM.

Iudices vero petitionum in omnem summam ius dicunt. et arbitrium habent amplum. multa. ex officio facere eis licet, et ex bono et aequo procedere et iudicare possunt. Quam ob rem ut non nisi probatis viris committatur hoc munus, per quadruplicem electionem eduntur.

IVDICES EXAMINATORES.

Iudices vero examinatores ad immobilia tantum pertinent. Itaq. res immobiles quae aut vendendae sunt aut in dotem dandae: ad horum iudicium deferuntur. Eorum est disquirere an liberae sint ut alienari obligari. iure possint. idq. praemissis publicis citationibus decernunt.

IVDICES PROCVRATORVM.

Sunt item Iudices procuratorum. quae administratio quoniam late patet: iudices quoque proprios habere oportuit. hi ius dicunt omnibus qui ex procuratoribus publicis quicquam peterent. quoniam nec illi unquam ullius tutelae aut commissariae bona resignarent: ne quid non iure fecisse viderentur, nisi id esset iudicium

sententia decretum . Et quoniam tres sunt eae publice institutae procurationes, sex dies ebdomadae inter ~~has~~ dividuntur . habentq. singulae biduum forensi disputationi designatum . Omnes ii magistratus sunt annui . et in singulis tres viri . quo ne aut unitas nimiam licentiam . dualitas ex paritate discordiam : pluralitas confusionem faciat .

In singulis autem curiis constituuntur in annum quaterni ex iuvenibus advocati . ut ediscant publica iura quae possint in tempus reddere .

IVDICES CVRIARVM.

Praeter hos autem tres iudices in supplementum constituuntur qui sedem propriam non habent : sed communes sunt curiis omnibus . ut si quis ex aliis morbo aut ullo casu , aut etiam proximitatis causa adesse liti iudex non potest ; unus ex his sorte in eam causam substituitur .

ADVOCATI MAIORES.

Item sex comunes advocati qui in omnibus curiis et apud omnem magistratum patrocinia suscipere causarum possint praeter quam apud consules mercatorum . et sunt haec munera aequae cum superioribus annua .

CONSVLES MERCATORVM.

Consules vero mercatorum tres numero de causis eius negotii iudicant . et est his ad omnem summam ius dicendi potestas . anno durant .

Unumquemq. autem per se causam dicere non per

advocatos volunt quo facilius veritas elucescat. nec per eorum cavillos causae protrahi possint. sed ex bono et aequo res celeriter decidatur.

SVPRACONSVLES.

Supraconsules pari et tempore et numero sunt: sed ampliori potestate. quatenus eum qui de fuga suspectus sit: comprehendere possunt: ut aut idonee creditoribus caveat: aut de vinculis causam dicat. Cumq. sint res opesq. mercatorum in pecunia maxime et rebus mobilibus constitutae: non facile sciri potest quae sit cuique aeris mensura. Itaq. in his maxime fallit opinio divitiarum. Adde pericula maris, rapinasq. monstrorum: cum parvo momento quis ex divite inops efficiatur. Ergo necesse fuit huic magistratui plurimum tribui potestatis: ne pars altera damna sentiret. Ad horum igitur officium pertinent tam captos: quam eos qui fugierunt si id illi velint cum suis creditoribus componere. Verum quia plerique in aliena pecunia exercentes iacturam aliunde simulantes fugiebant ac deinde per conventionem aut minus solvendo quam quod erat debitum, aut longius in tempus cum alieno gravi damno rem suam augebant: lata est lex ut quisquis non necessitate sed fraude fugisset: perpetuo exul fieret.

Gloriosi sunt homines veneti. et honorem magis quam lucra sectantur

Imperfectum opus





Ital 4832.7

De republica Veneta fragmenta;

Widener Library

007099176



3 2044 082 267 626